BIBLIOTHECA UNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS
39119
kat.komp.
Mag. St. Dr.
P
~~Teol. 2839~~

Dambrowski Nicolai: Quaest. theol. de eccle-
sia Christi militante.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0002427

QVÆSTIO THEOLOGICA.

DE

Ecclesia Christi Militante.

A

F. NICOLAO DAMBROWSKI, Ordinis Carmelitarum de Regulari Obseruantia, in Alma Academia Crac. S. Th. LICENTIATO, & in Conu. Crac. Studiorum Regente.

Pro Honore Doctoratus S. Theol. in eadem Celeberrima Academia obtinendo.

PRAESIDENTE

Admodum Rndo & Clariss. Viro

D. MARTINO CAMPIO VADOVIO S. Th. D. ac Profess. S. Floriani Præposito. &c. &c.

Publicè ad Disputandum proposita.

Anno Salutis humanæ, MDC. XXXII. Mense Nouemb.
Die 23 Hora 15.
In Lectorio DD. Theologorum.

BIBLIOTHECA JAGELLONICA

73.

In Arma Gentilitia.



PRO leuibus plumis, ſummas Crux tendit in auras:
Atque acuit geminum, iuncta Sagitta, decus.
Cæleſtes ea ſigna Viros, cæleſtia monſtrant
Symbola, & ingenuas poſteritatis opes.
Alma fides firmat, generoſum robore pectus
Pro aris, proque focis, militat alma fides.

39119 I

JLLVSTRJSTRJMO DOMJNO

D. LEONI SAPIEHA,

PALATINO VILNENSI,

Supremũ Martis imperiũ in Mag. Duc. Lithuaniæ exercenti: Mohilouien. Breſten. &c. &c. Capitaneo. Domino & Mæcenati Colendiſſimo.

Fr. NICOLAVS DAMBROWSKI CARMELITA Salutem & perpetuam Fælicitatem.

VERAM MILITANTIS CHRISTI *Eccleſiæ ſpeciem, præſenti diſputatiuncula effigiatam, ad te Illuſtriſſime Domine defero: Rem ſanè auguſtiſſimam, cui ſplendoris deſideretur nihil, ſi rem ipſam ſpectemus, venuſtatis autem deſit maxima pars, vbi ſolum auctor videatur: mihi ergo Patronum quærere neceſſe fuit, Teque præ aliis delegi: Haud ignarus tuam ſingularem ac fortunatiſſimam tutellam, tantum ornamenti & fælicitatis eidem allaturam, vt hinc alijs, inuidendi tale Patrocinium iuſtiſſima conſurgat occaſio. Etenim quemadmodum nominis tui amplitudinem, ob inclytam Familiæ Tuæ dignitatem, morum tuorum integritatem, generoſam animi celſitudinem, cum admirabili prudentia pariq; humanitate coniunctam, pietatem verè Chriſtianam, eximiam beneficentiam, prudentemq; in gratiis ac fauoribus elargiendis liberalitatem, tibi à perenni il-*

lo, &

le, & inexhausto diuinæ bonitatis fonte largè communicatam, cuncti venerantur, suspiciunt ac prædicant, ita quod eiusdem nominis tui irrefragabili authoritate commendatur, non poßunt non complecti & probare. Ad hæc gratissimum tibi fore sperabam, hoc literarium munusculum, partim quod singularis tuæ in Ordinem nostrum munificentiæ, leuidense interim meæ, meiq; instituti in te obseruantiæ vellem eße testimonium: pártim quod argumentum tractet nobis, & nostris temporibus quodammodo debitum. Non enim ignorare potes quam effreni animositate aduersarij, contra veritatem fidei Catholicæ vsq; ad sanguinem furentes; perditam defectionem, à vera Iesu Christi Ecclesia Romana & Pontificia propagare connituntur: detestandam impiæ fraudis licentiam, libertatem credendi viuendiq;, effracto legis Ecclesiasticæ limite, fallacibus inuentis astruunt & instillant. Et quamuis his dolis aliquantulum concuti possent infirmiores, in fide tamen benè fundati commouentur nihil. Pertinaciùs hi priscam fidem, de vera Christi in terris Ecclesia, Romana & Pontificia tuentur; quam illi traducant: quin imò contraria vexatio auget studium & animos addit: efficitq; vt quam à maioribus sartam tectam acceperunt, solidioribus in dies rationibus ornent & confirment. Et quidem potuissent quoq; hæc in nostra disputatione copiosiùs doceri & explicari: sed modus nobis tenendus fuit; & quod pro Scholarum cõsuetudine in lucem producitur, cum Scholasticis legibus pugnare non debuit. A te igitur protegendum hoc certamen Theologicum, ad Tuæ amplitudinis aram venerabundum procumbit, tuoq; Augusto nomini sese deuouet & consecrat. Tu congenita Tibi humanitate, lætaq; fronte illud excipere dignaberis; ita vt singuli plenè cognoscant, tibi diuinitus datum, tantam, in Ecclesiam veram Iesu Christi, spirare pietatem, quanta nullo verbi colore leuiter effingi poterit. Viue diu fælix, Ecclesiæ, RP. singulare decus ac præsidium.

QVÆSTIO.

VTrum Chriſti in terris Eccleſia, Romana, Pontificiaq́; nuncupata, ſola ſit vera, Sancta, Catholica, Apoſtolica, Vna, eo vnitatis genere, vt nihil permutationis in rebus fidei, nullamuè varietatem & libertatem credendi, admittat & ſuſtineat, nec ne?

CONCLVSIO I.

ECcleſiam DEI, more ortodoxorum appellamus congregationem fidelium à Chriſto fundatam; non quidē informem & confuſam, ſed tali ſpecie ac forma, qualem ab Authore ſuo congruentem fini ſortita eſt.

COROLLARIA.

1. *Ac proindè Ecclesia Dei non solùm est congregatio Sanctorum in spiritu oculta, sed visibilis & cõspicua Christi fidelium omnium, qui Sacramento Baptismi initiati sunt.*

2. *Atq; malos non solùm eos qui oculti, sed etiam manifesti peccati labe contaminati sunt, Ecclesia suo gremio complectitur.*

3. *Imò etiam illos, qui sola externa professione fidei, cæteris fidelibus coniuncti sunt, esse veras partes exteriores, corporis Ecclesiæ indubitanter asserimus.*

4. *Iam verò quod non soli prædestinati, sed etiam reprobi ad Ecclesiam pertineant, ex ipsa scripturæ sacræ euidenti contestatione satis liquido constat.*

5. *Tandem infideles qui mistici diluuij salutaribus aquis non sunt abluti, intra septa Ecelesiæ, & vnitatem familiæ illius nullatenus continentur.*

CONCLVSIO II.

ECclesia Christi vera, est solus ille cætus fidelium, qui sub obedientia Romani Pontificis, à temporibus Apostolorum, vnam semper profitentur fidem, atq; communione Sacramentorum colligati sunt.

COROLLARIA.

1. *Igitur officium Supremi capitis ita fuit concessũ S. Petro, vt illud perpetua successionis serie, in Ecclesia Dei militànte conseruaretur.*

2. *Præterea hinc facilèquemq; intellecturum existimo, Romanũ Pontificem, esse verum de iure diuino in Ecclesiæ primatu Sancti Petri successorem.*

3. *Vnde Summus Pontifex, cum totam Ecclesiam docet, in his quæ ad fidem pertinent, nullo casu propter diuinæ assistentiæ peculare priuilegium errare potest.*

4. *Sed non solum in Decretis fidei, sed neq; in præceptis morum, quæ toti Ecclesiæ præscribuntur, & quæ in rebus necessariis ad salutem versantur errare potest.*

5. *Probabile est pieq́; credi potest, Summum Pontificem, non solùm vt Pontificem errare non posse, sed etiam vt particularem personam, Hæreticum esse non posse.*

CONCLVSIO III.

ECclesiam Christi veram Ròmanam, solam esse sublimis sanctitatis prærogatiua illustrem, certum planè ac indubitatum est.

COROL-

COROLLARIA.

1. *Sancta quidem est, non quia quodq; membrum Ecclesiæ sanctum sit, & diuini sacrificantisq; spiritus habitaculum, sed quia sanguine Christi acquisita est.*

2. *Sancta inquam est, quia nemo in eam ingreditur, nisi per baptismum ablutus & sanctificatus.*

3. *Sancta præterea ob vniuersalia efficacissimaq; remedia sanctitatis, doctrinæ, & Professionis eius, sinceritatem & puritatem.*

4. *Sancta in moribus, studio & conatu, quo omnes suos, sanctos & perfectos sponso exhibere contēdit.*

5. *Ac omnino nulla secta vel Paganorum, vel Philosophorum, vel Turcarum, vel Hæreticorum, est sancta, cum quæuis illarum aliquos exploratos errores contineat.*

CONCLVSIO IV.

HÆc eadem Christi in terris Ecclesia Romana, seu Pontificia, est sola Ecclesia, Catholica, & Apostolica.

COROLLARIA

1. *Ac ideò tam firmiter à Christo fundata est, vt nullus*

nullus Sathanæ furor, nullus inferorum impetus, eius durationem infringere aut violare potest.

2. Ordinem quoq; rectum, continua serie successionis Episcoporum & Ministrorum varietate, insignem vsq; ad consummationem mundi, in ea Deus conseruari voluit.

3. Huc accedit præclara illius prærogatiua, & singulare diuinæ aßistentiæ priuilegium, cuius directione cõmunita, à veritate fidei minimè aberrare potest.

4. Atq; si aliquando oriantur controuersiæ de fide, Ecclesia in iis definiendis, à veritate deuiare nequit.

5. Hæc tamen potestas definiendi, & proponendi res fidei, non est immediatè in tota communitate Ecclesiæ, sed in vno supremo ac visibili illius capite.

CONCLVSIO V.

ECclesia Christi, Vera, Romana & Pontificia, arctißimo vnitatis vinculo continetur, ita vt ne dum libertatem credendi à suis castris omninò propellat, sed etiam non nisi eos, qui omnibus ijs quæ illa docet, seclusa quacunque varietate firmiter assentiunt: spe immortalis gloriæ replet.

COROL·

COROLLARIA.

1. *Ideò neq; Machumetana sentina, quæ plurima absurda à sacro dogmate Ecclesiæ aliena continet; neque Ariana impia pestis suos beare potest.*

1. *Palpabili quoque cæcitate laborant, Heræseon lernæ, Luteri sequaces, qui per solam fidem, per flãmæ purgatricis euersionem, per Missæ abrogationem, per Venerem, per delicias ad summam cæli voluptatem peruenire autumant.*

3. *Ad hæc nec Caluinianus furor, nec Eutichiana insania, institutis Ecclesiæ Christi aduersa: nec quicunque falsa religionis specie illiti, suos in cælis locare possunt.*

4. *Quamobrem propter vnitatem conseruãdam, Ecclesia potest tum pœnis Spiritualibus, tum temporalibus compellere, eos qui baptizati sunt, vt in vnitate Ecclesiæ perseuerent.*

5. *Porrò Principes Christiani, ciuilem potestatẽ habentes, tenentur omninò non permittere subditis suis, libertatem credendi, sed dare operam vt vna fides seruetur, quam Ecclesia Romana Pontificia docet esse tenendam.*

Qua

Qua vnitate cum nihil ſit certius &efficacius, pro concordia, pace & diſciplina publica conſeruanda, nihil etiam faciliùs inueniri poterit. ORO CHRISTVM, vt inſpiret ſuorum mentibus, eam fideliter ſequi & amplexari.

In Decanatu Adm. R̃ndi. Patris D. Matthiæ Bloſii S. Th. D. & Profeſſoris, S. Flor. & Sacræ Fac. Theologiæ Decani digniſsimi C. P.

CRACOVIÆ,

In Officina Matthiæ Andreouienſis. Anno Domini M. DC. XXXII.

BIBLIOTHECA JAGELLONICA

XXI.15.18.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0023606